



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. X. De Sanctis, ac Beatis monialibus ordinis S. Claræ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

nasset, multaque edidisset miracula, pridie I-
 dus Augusti, sacra Eucharistia sumpta, ani- Anno
 mam Deo reddidit, Innocentio quarto sum- 1253.
 mo Pontifice, qui ægotantem virginem
 inuisit, ei que suppliciter petenti indulgenti-
 am peccatorum impertiuit. Quam postea A-
 lexander quartus inter sanctas virgines retu-
 lit, biennio post eius obitum, anno Pontifi-
 catus sui secundo. Quo tempore & ordinem
 Eremitarum Sancti Augustini confirma-
 uit.

De *Damianisticis & Urbanisticis* monialibus
 vide supra cap. 5.

CAPVT X.

*De sanctis ac beatis virginibus & vi-
 duis ordinis Sancti Fran-
 cisci.*

POST S. *Claram*, eminent S. *Elizabetha*,
 Andreae Regis Hungariæ filia, & Ludouici
 Hassiæ Lantgrauij vidua.

S. *Michelina* vidua Pisauriensis.

B. *Coleta*, virgo, & alia, de quibus nos
 infra agemus, & alij passim agunt
 Franciscanarum rerum
 scriptores.

(. . .)

P 5

De

De S. Michelina vidua, & patrona
Pisauriensi.

Iul. 19.

Michelina Pisauri haud obscuro loco nata cum mortuo viro, quodam die in Ecclesia Franciscanorum, cum Syriana muliere peregrina, tertij ordinis sancti Francisci (ut vocant) moniali, quam domi suae hospitio exceperat, oraret, & quod ob curam filij (quem vnicè diligebat) se totam diuino seruitio mancipare non posset, quereretur, vocem à Crucifixo egressam hanc audiuit, *Te hac quoque cura & amore leuabo.* Quae domum reuersa, filium mortuum inuenit. Eo sepulto, facultatibus contra propinquorum voluntatem pauperibus distributis, vitam planè caelestem aggreditur. Nam vilem tertij ordinis vestem induta, assiduè ieiunans, corpus ferro cilicioque, interiùs præcincta catenis ferreis, affligebat, humi cubabat; orationi verò sic vacabat, vt ex apertis & vulneratis genibus vermes scaturirent. Aegrotos per Xenodochia frequens visitans, quadam die cum leprosum osculata, sanum tantum ea in parte reddidisset, exosculari tamdiu illum perseuerauit, donec totus mundaretur. Mulierem quoque leprosam oratione curauit. Tandem pijs laboribus confecta, ad Christum migravit, 13. Kalend. Iulij, an. à partu Virginis 1356. in eadè Ecclesia sepulta. Ita

Ita Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiae, qui addit ipsam Pisauri Officio Ecclesiastico coli, & festo die in populo, ut loquuntur.

CAPVT XI.

Congregatio Coletana monialium ordinis S. Clarae, per B. Coletam instituta circa an. 1425.

B. Coleta virgo Corbeiae in Picardia nata, ordinem S. Clarae cepit primum reformare in monasterio urbis Bisuntinae apud Burgundos, post in aliorum quoque locorum varijs monasterijs; vsa potissimum consilio *P. Francisci Balmae*, Confessarij sui, viri morum vitaeque integritate laudatissimi, cuius ossa in dicto Bisuntino coenobio quiescunt. Obijt autem B. Coleta Gandavi in Bethlehem sui instituti coenobio, anno 1447. vbi hodieque sacrum eius corpus integrum magna veneratione à monialibus adseruatur. Vitam eius fuisse scripsit *Stephanus Iuliacus*, Theologus Parisiensis, à Surio editam. Colitur autem Gandavi à suis Officio Ecclesiastico, iuxta Indultum Clementis VIII. Papae, petente Ser.^{ma} *Isabella Clara Eugenia*, Belgarum Principe anno 1604. concessum: quod ad alia eiusdem instituti coenobia Belgica Paulus V. an. 1610. extendit.

Cete-